Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1739

Quelle:
Copyright:

VI. *fol.* 58. Alia Relatio incipiens: *Sabbato ante Marcelli que erat dies 1 Menſ. Junij Nobiles domini Boemice et polonice Nacionum obtulerunt cartam ſeu cedulam Coram deputatis Concilij in Conſtantia apud fratres minores* &c. Congruit cum *Hiſtoria Huſſi* praefixa editioni *Opp. ſupracit.* et quidem a p. ejus 15. usque ad p. 33. ita, ut qui *Hiſtoriam* illam contexuit, *Relationem* praeſentem prae oculis habuiſſe videatur. Sunt tamen, in quibus non ſola tantum phraſi diſcrepent. A *fol.* nobis 78. interjectae ſunt *Huſſi Epiſtolae*, prout extant in Edit. *cit.* p. 79. et quidem ab *Epiſtola* XV. ad XLII. hoc uno diſcrimine, quod XXIV — XXVI. ſermone nativo *bohemico* repraeſententur. Relatis *Epiſtolis* Scriptor noſter *fol.* 89. p. 2. ait: omittere ſe *Articulos extractos de libro de Eccleſia et quibusdam alijs tractatibus Johannis hus* jam ſupra ſcriptos, item *Ordinem procedendi in cauſa magiſtri Johannis hus a principio inter ipſum et pragen. archiepiſcopos* (edit. cit. p. 109.) *per ipſummet alias conſignatum propter breuitatem temporis*, reſumitque telam narrationis ab his verbis: *Cum autem dictus Magiſter Johannes Hus Conſtancie ſtaret ad tres ebdomadas cum media* &c. quae coincidunt cum *Hiſt.* impreſſae p. 6. in qua deſiderantur *Articuli extracti ex proceſſu cauſe contra magiſtrum Johannem hus ſufficienter deducti et probati per teſtes fide dignos*, qui *Relationi* noſtrae finem imponunt.

VII. *fol.* 104. p. 2. *Tractatulos ſubſequentes, de quibus ſupra fit mencio Magiſter Johannes Hus compilauit in carceribus aput fraterculos predicatores Conſtancie poſitus nullum librum habens in ſuffragium, ad inſtantes preces cuſtodum carceris predicti, de quibus cuſtodibus ipſe Magiſter Jo. in fine tractatulorum metrice alias verſifice facit mencionem. Et hoc Anno Domini M° CCCC° XV° in carniſpriuio, qui tractatuli ex originali manus ſue preſentibus ſunt copiati, et vnus de manu eius habetur in memoriam eius.* Sunt vero *De Matrimonio, de Sacramento Euchariſtiae, de Mandatis et Oratione Domini*, et *de Peccato mortali*, ut extant edit. *cit.* T. I. p. 38.

VIII. *fol.* 119. *Joh. Huſſi Epiſtolae* IV. ſermone *bohemico*, quae ſunt inter latine impreſſas edit. *cit.* numero XII. XIII. XI. XIV.

IX. *fol.* 124. p. 2. Excerptum *ex Libro cuiusdam medici.* De emiſſione Urinae et Calculo.

X. *fol.* 131. *De electione Epiſcopi.* Initium: *Actor. 1. legitur, quod ſicut ſuo officio congruebat, diffiniunt* (Apoſtoli) *vnum debere Jude proditori ſuccedere* &c. Compilatio e *Richardo Armach. Nic. Lirano, Guil. Occamo*, Jure Can. et Legendis SS. de Epiſcopis a Populo, Clero, Principibus olim electis, quae tandem in hanc Quaeſtionem definit: *Vtrum nunc liceat*